OMEN ROMÆ.

SIVE

Cippus & θρηνῳδία

~~Ram 62~~
11405 aaa 10/12.

In duos *Jesuitas* & centum circiter gregarios Pontificios: Quos, dum *Londini* (quæ *Angliæ* est metropolis) in loco *Dominicanis* olim proprio, concionem sacram celebrant, ædes collapsæ ruinâ oppressos neci dederunt.

A° 1623. die Dominico,

Novemb. 5. } stylo { *novo*
Octob. 26. } { *veteri.*

Quo ipso die *Nov.* 5. *stylo veteri*, ante annos octodecim Zelotæ quidam Pseudocatholici Regiam stirpem & procerum consessum nitrato pulvere exufflare statuerunt.

Sed *Deus dedit his quoq; funem.*

Autore IOHANNE ROBOTHAMO.

Robothamus (J.)

Καὶ Ῥώμη ῥύμη ἔσεται, καὶ δῆλος ἄδηλος. Sibyl.

Suis & ipsa *Roma* viribus *ruet*,

LONDINI,
In Officina *H.L.* sumptibus *R. Moore*. 1627.

Verè Nobili ac Generoso *Rogero Townshend* Rei, publicæ, ſacræ, literariæ Mecœnati.

Hoc ego, gramineî modicâ ſub cæſpitis umbrâ,
Multiforâ raucum modulatus arundine car-
Auſpiciis promulgo tuis. Tibi debita dona (men,
Sumito; Fautorem quem Patria *rebus honeſtis,*
Quem ſchola ſacra *ſuum, quem* muſica *turba fatetur:*
Suſcipias placido (Mæcenas optime) vultu
Has tibi ſilveſtri miſſas e rure Camœnas.
Munera parva quidem; ſed qualia noſter agellus
Produxit, quâ fruge Ceres nos alma beavit,
En tibi primitias, devotæ pignora mentis.
Non ſum, quem violæ, quem mollis amaracus ornet,
Quem virides hederæ decorent, bicolorq; corymbus.
Frons decet Aſcræos vates redimita corollis,
Quos vitreis ſaturant lymphis Heliconis alumnæ,
Vbere quos lactat tumido Tritonia Virgo.
Laurea magniloquum tacitâ fovet arte cothurnum,
Vaticinoſque cient Parnaſſia ſerta furores.
At mihi jampridem chelyos *deferbuit ardor,*
Grata nec afflavit bifidi vicinia collis.
Ecce modos tenues incondita ſtridet avena,

Languet & inflexo lugubris tibia thyrſo.
Cum tamen (heu, zelus quid non præpoſterus audet!)
Papicolæ *craſsâ fuſcent caligine verum,*
Cum pia Romulei *ſpirent mendacia* Cretes,
Atq; ſua affingant inverſa opprobria nobis:
Semper ego auditor tantùm? nunquamne reponam?
Ira dat eloquium, geminatq; injuria vires.
Hinc incenſa vetus redit in præcordia virtus:
Concipit hinc flammam redivivam pectus: & ipſa,
Cui natura negat, ciet indignatio verſum.

COrruit alta domus, miſerando funere quaſſans
Papigenûm, celebrant dum ſua ſacra, gregem.
Roma cave: mox ipſa petet *Capitolia* fulmen:
Clangit ab æthereo prævius axe fragor.

Pſal. 16. 4.

Qui colunt fictum temerè deorum
Numen, & dives luteos adorant:
Sternet hos agmen rapidis procellis
Grande dolorum.
Mens mihi cultus fluido cruore
Oblitos horret; renuunt nefandas
Labra vel leni pia muſitare
Flamine ſordes.

Pſal. 64. 9, 10.

Vindicem dextram Domini pavebit
Et cohorreſcet tremefactus orbis,
Provido celſi facinus Tonantis
Pectore volvens.
Integer vitæ ſcelerisq; puriſ
Geſtiet; firmâ pia turba mente
Spe Deo fidet, Superûmque Regi
Carmina panget.

OMEN ROMÆ.

FOrtiter Auſonios excuſſerat *Anglia* faſces,
Laxatoque jugo, ſatiata cruore ſuorum,
Ruperat *Oenotrÿ* crudelia lora Tyranni,
Supremumque vale *Tarpeiæ* dixerat arci.
Hinc fluit alma quies; hinc pax, & plurima rerum
Copia diviſos toto beat orbe *Britannos*.
Regia dum Virgo, divorum germen *Elizæ*
(Cujus ab exacto fatali gloria filo
Claret in æternum, nullo delebilis ævo)
Angliacæq; ratis dextrè moderantur habenas,
Sceptra *Caledoniis* qui junxit noſtra, *Jacobus*.
Protinus inviſum piceis caput occulit umbris
Vana *ſuperſtitio*, cultus imitata profanos.
Aufugis inſolito fulgore exterritus *error*,
Oppoſitâq; manu fronti, flexiſq; ſubinde
Luminibus retrò, trepido pede tendis in antrum.
Rex *Erebi* terram, quondam ſua regna, peroſus,
Obliquans oculos a luce, ſub ima recedit
Tartara, & infernæ penetralia quærit abyſſi.
Effringit *purgans* convulſa repagula *fornax*,
Stagnaq; contigui *Cocyti* lurida tranat.
Infauſti lemures, ſtygiæ deliria noctis,
Fictaq; vaniloqui cedunt inſomnia vulgi.
Hîc vetito ritu *skeleto* non oſcula libat,
Non ſuperos genios neq; Plebs heroas adorat:
Non cereale colit pulſato pectore numen,

Ligna

Ligna nec incertis veneratur inania votis:
Non ebur aut picti metuit ludibria trunci,
Suſpicit aut quernos curvato poplite Divos:
Non adolet fumos & odores thure ſabæo
Naribus iliceis. Magico neque murmure *Myſtes*
Elicit ore Deum, quem devoret ore, Lycaon.
Nullus aqualiculus diſtento abdomine turget,
Nec ructat *monachus* tumidâ propendulus alvo.
Nullus *Aventino* venale diplomate cœlum
Indicat, aut variis pingit ſimulacra figuris.
Non cenſus redimit noxas, neque luſtrica lympha
Expiat internas iteratâ aſpergine ſordes.
Non tragicum raucâ vomit hiſtrio voce boatum,
Raſa nec incautum deglubit turba popellum.
Pura ſed arcani reſerans ſacraria *Verbi*
Luce novâ fælix radiata *Britannia* fulget;
Fulget diſcuſsis rutilo ſplendore tenebris;
Iuraq; ſola colens ſacris inciſa tabellis
Aurea primævi figit veſtigia ſæcli.
Hoc, qui tartareos procudit & opprimit ignes,
Et celebres ſolio Reges detruditavito,
Ille *ſtupor mundi*, gemmis auroque tiaram
Tergeminam jactans, haudæquo lumine vidit;
Vidit, & infremuit, ſubreptaque prædia ſpectans
Vix tenuit lachrimas, *quia nil lachrimabile cernit.*
Inde caput quaſſans, & libera denique nullam
Spem ſupereſſe ratus frænare tyrannide colla,
Infrendet, tacitumque gerens ſub pectore vulnus
Evocat ex ſpiſsâ tenebrarum ſede locuſtas,
Agglomeratq; ſibi ſocios, quos ſplendida bilis
Exacuit cæcique animi præfervidus æſtus.
Vos, ait, exeſas *cathedræ* reparate columnas,

Et

Et jam lapſuræ ſcapulas ſupponite *Romæ.*
Iuſſa facit ſcelerata cohors; mandata capeſsit,
Præcipitique gradu currit per ſaxa per ignes,
Ac rotat obliquo curſus revocamina morſu:
Impia fucato prætingit toxica melle
Vipeream inſpirans ſaniem; vulgique coronæ
Aſtanti fumos oculis obtendit inanes:
Plurimaque in Sanctos convitia ſpumat, & altâ
Mente coquit fraudes: hos tetro devovet Orco
Ni parere velint; illos indagine cinctos
Retrahit, et philtro pateræ dementat & auri. Apoc. 17. 4.
Nec tantùm tacitos immurmurat aure ſuſurros,
Vota ſed indicens veteri ſolennia more,
Extrudit merces præconis voce doloſas.
Uſq; adeo contempta jacent examina legum;
Papigeniſq; animos placidi indulgentia *Regis*
(Tranquillâ qui pace ac ſiccâ morte ſuorum
Gaudet) & *Hiſpanæ* facit expectatio ſponſæ.
(Degener incaſsùm tedis inhiavit *Iberis*
Civis, *hymen hymenæe* vocans; fugit ille vocatus)
Ilicet attacto prorumpit fomite flamma.
Sordet ador præ glande; dapes faſtidit inemptas
Cœlicolûmque cibos ac *Mannæ* fercula, vulgi
Credula colluvies: & *Memphios* allia demens Num. 11. 5, 6.
(Nox ea mentis erat) vitiataq; pocula *Romæ*
Ingluvie ſtimulante vorat; Tyberinaque dona
Sorbet inexpleto lernæos gutture ſuccos.
O ſemper nocitura pii ſimulatio zeli,
Larvaque virtutis! Quid non mortalia cogis
Et transverſa rapis ſub imagine pectora veri?
Dicta dies aderat; cum *Patris* prole bilingui
Præſide *loripedis* larvatâ nomine *Jeſu*

Romicolæ coeunt: tenuit mora nulla vocatos.
Coguntur, ſparſim volitant quicunque per urbem;
Succedunt longo bipatentibus agmine valvis,
Et tria tranſvecti ſurſum tabulata ſub altis
Conſcendunt gradibus. (Miſeri! tolluntur in altum
Ut lapſu graviore cadant.) Dum quiſque receſſum
Occupat, aut ſacro numerat ſua murmura bombo:
Celſior exoritur, roſtris innixus acernis
Flamen, & aerio munitus tempora ſigno
Compoſitò rumpit vocem (nec publica vota
Præmittit) modò ſana docens, modò fœda *Tridenti*
Scita linens fuco, dum veris falſa remiſcet.
Attonitum vulgus ventoſos poplite flexo
Imbibit aure ſonos, Romanaque pabula mandit.
Viderat hæc oculo, quo ſidera, tartara, terras
Luſtrat, & Omnipotens vehementi excanduit irâ.
Dumque antiqua refert ingratæ crimina gentis,
Ergone (ſic infit) toties violabit honorem,
Atque impune feret ſine cæde & ſanguine, noſtrum
Ferrea gens, inimica mihi, ſanctoque cruore
Ebria, conſiliis ſuccumbere neſcia ſanis?
Tanta nec inflexit petulantem gratia mentem?
Nec rigidæ valuêre minæ, terrorque flagelli?
Ah quoties volui cupidis complectier ulnis
Teque fovere ſinu? Quoties impreſsit acerbas
Dextra paterna tibi repetito vulnere plagas?
Tu tamen in vitio ſtertis: geminata Libido
Luxuriâ faſtuque furit, liquidoque ſtupeſcunt
Corda ſepulta mero. Ceu fæx Pietatis alumni
Quiſquiliæque jacent; Ludibria, ſcommata, ſannæ
Iſta manent æquæ ſtudioſos præmia vitæ.
Scilicet &(tanta eſt reverentia fœderis icti)

In *Pharias*, lucis pertæſa, relaberis oras;
Italicum rurſus plenâ veneraris acerrâ
Numen, & illicitis oneras (Infida) *Latinos*
Cultibus Indigetes. Adeo detrectat habenas
Luxurianſque caro rebus laſcivit opimis?
Hæccine pro tantis meritis ingrata rependis?
At documenta dabis, quid læſa potentia poſsit.
Ite meæ celeres, ultrices ite cohortes,
Flamma, fames, ferrum, peſtis, Mavortius horror.
Ito, feri populum, mea virga *Hiſpane*, procacem,
Angliacas prædare domos, rape, diripe, ſterne.
Serveq; *Servorum*, Satanæque ſuperbe ſatelles,
I, ſervis dominare tuis. Iuvat ecce recenti
Indere ſponte ſuâ (quis crederet?) ora capiſtro.
Dixerat, *Angligenûm* jam vibraturus in urbes
Fulmen, & inſolito motu tremefecit Olympum,
Obnubitque nigrum piceâ fuligine mundum.
Ardua contremuit turbati regia cœli:
Luce ſuâ fermè viduatus palluit æther,
Nec radios Phœbus, tremulum nec Cynthia lumen
Præbuit. Undantes tellus concuſſa ſacunas
Fontibus exeruit: totuſque cohorruit orbis.
Dumq; fremunt ſubitæ prænuncia ſigna ruinæ;
Cælicolûm Princeps, tenebroſi victor Averni,
Virginis intactæ germen, mundiq; *Redemptor*
Exilit e ſolio claris lucente ſmaragdis
Angelico comitante choro, paſsiſque querelas
Effundens manibus, motum ſic mitigat æſtum.
Parce precor Genitor, nec tam crudele miſelli
Supplicium populi placeat. Sin ferveat ira,
En tibi, quem ferias (& corpore ſtigmata ſacra
Indicat oppoſito, fuſi monumenta cruoris)

Hæc mactata meos hæc victima ſoſpitet agnos.
Hic tibi ſponſor adeſt: In me converte furorem
(Siquis adhuc ſupereſt:) miſero parcatur ovili.
Non ea non parvo parta eſt eccleſia ſumptu,
Quam tanti coluere viri, quam tanta rigavit
Martyribus cæſis ſtrages, & cælicus imber
Divite melliſluæ cui depluit ubere mannæ.
O nimium dilecta Deo! quam faucibus Orci
Ereptam toties celſæ miracula dextræ
Illuſtrant; Cui turbo rapax, cui militat æther,
Eq; ſuis flammata favent ſtationibus aſtra.
Hæccine nequicquam, Genitor? Tua munera curæ
Sint tibi, nec pereat longi labor irritus anni.
Aſpice quàm nitidis *Verbi* ſcatet undique rivis
Cultus ager! quantoque calent altaria thure!
Aſpice, quot vetitos horrent, ceu toxica, ritus!
Quot circumvolitant avido tua limina greſſu!
Quanta ſui populi gemebunda piacula turba
Luget in occulto! totiſq; attrita medullis
Eluit *antitheas* lacrimarum flumine ſordes!
Ergóne, qui gaudes ſceptri moderamine juſti,
Vetidicus Iudex, Paucorum crimen in omnes
Diffundes? Vbi priſcus amor bonitaſque benigna?
Et precibus quondàm facilis clementia flecti,
Inſitaq; internis mitis miſeratio fibris,
Quæ beet *Abramidum* per ſæcula ſera nepotes?
Sin placet ulciſci (nam juſta ad prælia cogunt
Invitas idola manus, ac numine læſo
Caſus & admiſſam luit imprudentia culpam)
Ne tamen effuſis æſtus bacchatus habenis
Obruat inſontes. Plectatur noxia turba,
Et premat ira reos. Paucorum denique cunctis

Pœna

Pœna ſit exemplo. Nec geſtiat uſque rapinâ
Inſultetque tuis Sancti Populator agelli.
Vt nox triſtis atrâ fuſcat ferrugine terras,
Et tegit obductum pullo velamine cœlum;
At jubar a primo Phœbi ſurgentis ëoo
Pellit opacam umbram, dubiæque crepuſcula lucis
In faciem mutat rutilans Aurora ſerenam:
Sic quæ turbarunt divinam nubila frontem,
Sole ſalutifero radios ſpargente, recedunt;
Æthereuſque Pater vultu blanditus amœno
Inque preces facili, Cyclopea tela reponit,
Tela cruenta nimis: Senſim tepuere calores
Pectore placato, fervenſque relanguit ardor.
Iamque nihil contrà, niſi, ſit tibi copia voti:
Percellat vindicta reos, ut terreat omnes.
Aſtitit, & placido pendebat ab ore loquentis
Filia conſilii æterni, divina *Pronoia*,
Immenſi Regina globi; cui ſingula parent,
Vaſtaque ſubſervit præcunti fabrica mundi.
Hæc magno miſcet ſe ſedula corpore nutrix,
Et terras tractuſque maris cælumque pererrat,
Omniaque intus alit, totum transfuſa per orbem.
Incubat hæc rerum moli: flammantis Olympi
Dædaleâ movet arte rotas: convolvit in orbes
Æthera: convexo ſuſpendit fornice zonas:
Frænat aquas clauſtro: fumos exugit ab undis:
Arcuat aerias lato curvamine nubes,
Et magnum per inane librat terreſtre volumen.
Hæc regit arcanis animorum *provida Preſes*
Imperiis hominum ſenſus, conamina, geſta,
Ut vario tendant ad eandem tramite metam.
Hac duce, lanifico fatalia pollice Parcæ

Penſa trahunt, rapidũ torquent vertigine rhombum,
Occiduæque ſecant mortalia ſtamina vitæ.
Aſtitit hæc igitur domino ſuccincta miniſtra
Vi patriâ pollens, immotaque juſſa Parentis
Excepit: Genitorque ſuæ ſic mandat alumnæ.
Nata, meæ vires, quâ ſæpiùs auſpice fluxas
Alternat natura vices, ſolitoq; tenore
Permeat, aut fixas tranſcendit devia leges:
Diſjice compoſitum (ſic ſtat ſententia) cætum,
Nec premat Heſperius Præſul ditione *Britannos*.
Percute tranſverſum violentâ cuſpide lignum;
Deficiatque tholum luxatâ impage recurvum
Paxillus, mactetque ſtrues collapſa cadentes.
Invitus ferio: Sed enim contagio ſerpit
Vlteriùs, vireſque lues acquirit eundo.
Quæritur incaſſum vitiato corde medela:
Putrida membra luant, ne pars illæſa putreſcat.
Præpete diva volat pennâ (cui prævius enſem
Aliger ancipiti ſtringit mucrone miniſter)
Puniceoque levem dilapſa per aera curru
Cæruleâ ſub nube latet, ſpiſſæque coronæ
Inſinuat ſeſe, peragens mandata *Tonantis*.
Tempus erat, medio cum Sol declivis ab axe
Longius in ſpatium tenues porrexerat umbras:
Nec jam *Chriſtificum* celebrabat murmure ſacrum
Myſta; ſed in populum patulo *Demegorus* ore
Expromit latices *Italis* de fontibus hauſtos.
Ecce Quirinali dum pandit dogmata ritu
Præco, Palatinos & ſpumat ubique liquores,
Conſtipatque novum numeroſa frequentia fanum:
Ingemuit tanto ſuccuſſum pondere tectum,
Traxit & ingentem laxâ compage ruinam.

*Qui

* Qui *Lateranenſem* fulſit fraterculus ædem,
Ille ſuos fulcire lares, ſua limina, neſcit.
Fundamenta tremunt ictu: faſtigia nutant:
Interiora ruunt: Pedibus ſubſtrata labaſcit
Materies, ſecumque trabes ac tigna revellit.
Procumbunt poſtes emoti cardine; moles
Disjicit oppoſitam molem, fractaſque columnas
Sternit humi, barathrumque cavo diſcludit hiatu.
Indigeſta jacet fluido circumlita tabo
Congeries, varioque inceſtat funere ſacra.
Intonat inde fragor circùm: conterminus ipſe
Thameſis horreſcit: ſtridore ſonabilis æther
Perſtrepit, & vaſtum pertingit murmur Olympum.
Sic ubi rima micans ruptam fidit ignea nubem,
Vibratæque ruunt intorto vertice flammæ;
Ætherei reboant ſinuoſa volumina gyri,
Et convexa fremunt furvi laquearia cœli:
Aut ubi diſplodit *Vulcania machina* glandes,
Et rotat igne globos eliſi turbine plumbi,
Ictibus aut validam repetitis verberat arcem,
Turrigerique quatit fundamina ſaxea muri;
Horriſono ſtrepitu regio vicina remugit,
Atratoque Polus nebularum cinctus amictu,
Ingeminat latè tonitru crepitante fragorem.
Eheu, quis digno plangat tot funera plectro?
Eccui trux animus, mens effera, cornea fibra
Occallet, ſiccis ut talia narret ocellis?
Palpitat attonitum trepidâ formidine pectus;
Quæq; recrudeſcunt attactu vulnera, triſtis
Mens meminiſſe horret, geliduſq; per intima currit
Oſſa tremor; tantoque oneri quaſi flebilis impar
Muſa ſtupet, ſtrageſque graves invita revolvit.

* *S. Dominicus P. Innocentio 3. viſus eſt per quietem, Baſilicam Lateranenſem ruinã jam minitantẽ ſuppoſitis humeris ſuſtentaſſe.*

Iurequidem vigeat divina potentia; ſontes
Formidanda domet magni vindicta Tonantis,
Exerat & læſi manifeſtam numinis iram.
Nos tamen humanæ flemus diſcrimina vitæ,
Quam trahit in querulos ſcelerum contagio luctus.
Romuleas tanti ne ſtetit cognoſcere nugas?
Pars ſtabili eſt innixa ſolo, parieſque revulſus
Præbuit effugium domui communis utrique.
Maxima pars cecidit ſubitis illiſa ruinis.
Sternuntur miſeri miſerandâ morte; *sacerdos*
Concidit exanimis, preſſoq; obmutuit ore.
Alter ab impacto transfixus ſtipite fruſta
Sanguinolenta vomit: lapidoſæ grandinis imber
Proterit hunc, illum moles oneroſa ruentem
Quaſſat, & æternâ conſopit lumina nocte.
Parva queror: plærique cadunt haud ſimplice letho,
Infernoſque petunt geminato vulnere manes.
Fœmina virq; ſimul lapſi, juveniſque ſenexque
Præcipiti curſu fato volvuntur eodem.
Accurrit miſerante manu per compita vulgus,
Vique viâ factâ ruderum perrumpit acervos,
Et ſuperingeſto luctantes pondere multos
Effodit, ac magno molimine ſervat; at illi
Semineces titubante gradu veſtigia ponunt
Lubrica, ~~pulſantes~~ ſingultis quatientes ilia denſis.
Cæde tepet tellus: ululant plangoribus ædes.
Hic fratrem, gemit illa virum, genitrixq; peremptos
Flet natos, nati flent caſſam luce parentem.
Quócunq; aſpiceres, nihil eſt niſi luctus & horror,
Dira loci facies, & plurima mortis imago.
Sic Deus *adverſos* vindex ulciſcitur hoſtes
Exoſos ſanctam maleſano pectore lucem:

At

At leviore *ſuos* (quos *credulus* abripit error
Tramite de recto) caſtigat clade, ſupremæ
Ne graviora ferant abſorpti gurgite flammæ.

CErnitis *Angligenæ*, quos devia ſemita fallit,
Cernitis inſenſi flagrantem numinis æſtum?
Quàm gravis æthereo minitatur nimbus ab axe?
Ut Deus è cœlis incenſi ſigna furoris
Conſpicienda dedit? Nec lævum territat omen?
Scilicet eventus (fateor) ſortitur eoſdem
Impius atq; pius; Succeſſum ſæpe ſiniſtro Luc. 13. 4.
Optima cauſa jacet. Divini ſpiritus oris
Unica ſupponit fidei fundamina ſanæ.
Cum tamen Altitonans oracula prævia pandit, Pſal. 16 4. &
Req; minas firmat; Scripti mens conſcia veri 52. 6, 7. & 58.
Firmior exurgit, binis ſuffulta columnis. 10, 11. & 64.
Cernite, quàm juſtâ librat mortalia lance 9, 10.
Ille Sator rerum, qui voce manuque ſuperbos
Comprimit. An nondum ſupero meminiſtis in ævo
Sanctorum Domini, quos torto dira tyrannis
Suſpendit laqueo? quos lento torruit igni?
Cum tota exarſit cumulatis *Anglia* buſtis,
Carnificumque manus tepido maduêre cruore?
Nec ſubit atra, nefaſta dies (expuncta calendis
Excidat illa dies, & labem ſerior ætas
Obruat Angliaci lethæâ nominis undâ) (nis,
Quâ quondam horrendis manus impia tecta caver-
Squalida dum luſtrat furvi ſpiracula Ditis,
Sæviit auguſtos regali ſanguine poſtes
Tinxiſſe? & Procerum diffluſſe per æra florem
Turbine ſulphureo? Tantum ſuadere malorum
Religio potuit? ſic cœli ſcanditis arcem?

Involvat tenebris & opacâ nocte furores
Perfida turma ſuos : Deus aſpicit omnia vindex,
Exigit & memores ultrix Rhamnuſia pœnas.
Nec pudet *Italicæ* dare colla premenda *Chimæræ*
Ingenui cives, quos maſcula vena paterno
Sanguine nobilitat ? Nec prono vertice tædet
Terrificam falſo venerari Gorgona vultu ?
Nec piget inſontem toties jugulaſſe catervam ?
Graſſentur gladii, cauteria, ſpicula, carcer,
Verbera, vincla, cruces, tormenta, flagella, venena ;
Oppoſito pietas velocior obice currit,
Sanctaque cæſa ſeges creſcit, ceu pondere palma
Surgit ab impacto ; *Chriſtiq;* attollit ovile
Vexillum victrix, nullo ſuperabile ferro.
Quid juvat, inſano ſic indulgere furori ?
Diſcite juſtitiam moniti, nec nupera corde
Temnite præfracto tanti monumenta doloris.
Supplicat en vobis lugubri Patria queſtu,
Lividaq; oſtendit vibicum ſtigmata ; tandem
Ponite funeſtas, o tandem ponite lites.
Sat furiis *Latioq;* datum. Siet unica nobis
Norma (nec *Hetruſci* jurate in verba magiſtri)
Enthea divinas quæ promit pagina gazas.
Turgida ſin tumeant vano præcordia faſtu,
Irrita nec flectant animos portenta ſupinos :
Ferrea virga venit, quæ grandi ſtrage feroces
Contundet, tumidoſq, premet, frangetq; rebelles.

1 John 5. 14.
2 Th. 2. 11, 12.

VOs tamen, infuſo (fratres) quos flamine ſuccus
Purior intus alit, queis fax ſacrata coruſcæ
Lampadis affulget ; terras quocunque ſub axe
Incolitis latè Phœbo ſub utroque jacentes :

Dicite

Dicite (nam vobis afflat cœleſtior aura,
Et ſacra vis calidas ſupero fovet igne medullas)
Dicite, fatidicum nunquid prænuntiat *omen*,
Quidve tremenda volunt diæ præſagia dextræ?
Fallor? an ἐπαλόφως nutant jam culmina *Romæ*?
Urbis & invictæ Capitolia celſa labaſcunt?
Num tremit illa triplex quaſi mox ruitura corona?
Coccineæ pallent veſtes? mitræque bicornes?
Ac moritura brevi *meretrix babylonia* languet?
Illa quidem meretrix jam murice tincta ſuperbo
Proſpiciens domitum ſeptem de montibus orbem,
Faſcinat incautas pietatis imagine mentes,
Spargit & in vanum mellita venena popellum.
Brutaque terribili (fruſtra) jaculatur ab ore
Fulmina, magnicrepis glomeratque tonitrua verbis
Heſperiæ monſtrum trifido diademate fulgens.
Floreat ad tempus: ſed flos erit ille caducus.
Sævit eò graviùs tenebrarum dira poteſtas,
Quò metuit pavidâ propriorem mente ruinam:
Sic quatit inſolito vix jam vitalia niſu
Membra relicturus moribundos ſpiritus artus.
Tolle animos *generoſa cohors* & cælica turma,
Quæ toties calcata vires ac victa reſurgis.
Perfer & obdura: reſtat ſuperanda ferendo
Una procella tibi, requiempatura perennem.
Styx Acheronque fremant; tu contra audentior ito.
Ito per innumeros *Verbo* ducente triumphos:
Exupera ſalebras adituque carentia ſaxa.
Det Deus optatum facilemque per invia curſum,
Fælicique tuos fortunet fine labores.
Rumpe moras *generoſa cohors* & cælica turma.
Languida cur tantum tardaret inertia cæptum?

Priſtina vis ſubeat: revireſcat vulnere virtus.
Quid ſi prima ſuo careant conamina fructu?
Flebile principium melior fortuna ſequetur.
Num violenta times animoſi ſpicula *Galli*
In ſua ſanguineum ſtringentis viſcera ferrum?
Terret an *Auſtriaci* metuenda potentia ſceptri?
Ecquid in impuri venturos deniq; ſcorti
Auxilium cenſes raptores orbis *Iberos*?
Solve metus, moveant neq; mormolycæia timorem.
Apoc. 18. 9, 10. *Hi procul aſtabunt*, modò nos audere velimus.
O utinam tandem certamina civica, crudi
Pacato Martis fremitu, compreſſa quieſcant!
Fœda nec egregiis obſtet diſcordia geſtis!
Alter ab alterius calamo (miſerabile dictu!)
Cædimur. Heu, animis iræ tantæne ſceleſtis?
In pugnam ruimus, nocituraque poſcimus arma.
Charta vomit mordax ſcurrili dente dicaces
Inſipidoſq; ſales, ac multo turget aceto.
Tiſiphoneque, caput torvis obſeſſa colubris,
Implicat occultum virus, tectaſq; per orbem
Vibrat ubiq; faces, lymphataque trudit in arma.
Proh pietas! ubi priſca fides! ubi candor avitus!
Pſal. 133. 2. En unquam fraternus amor, velut unguen hebræi
Pontificis, *Solymam* ſuavi perfundet odore?
En unquam lites dirimentur, & auſpice *Chriſto*
Horrida miteſcet poſitis Bellona duellis?
En erit illa dies, niveis argentea pennis
Cum pia pax laceras inviſet ab æthere terras?
Cumq; tot inſanis *Eccleſia* quaſſa procellis,
Quæ tam multiplici laniatur ſchiſmate, tandem
Hoſtibus everſis radianti cincta corollâ,
Læta triumphabit roſeis invecta quadrigis,

Inq;

Inq; gregem cedet fatis melioribus unum?
Hinc furit Imperii tumidus Dominator ëoi
Chriſtiadum tortor, metuendum *Turca* flagellum.
Hinc fera *Romulidum* ſtricto fremit enſe propago;
Sævaq; victores *Jebuſitæ* incendia miſcent,
Perdita gens, inviſa, ferox, Sirenia peſtis,
Compoſitis inſtructa dolis atq; arte Pelaſgâ.
Nec ſatis eſt miſeris, quòd aperto Marte petamur,
Hoſtis & *externi* quòd luridus ingruat horror,
Ni ſerpentigenûm moveamus prælia fratrum,
Qui cecidere ſuo per mutua vulnera bello?
Civilis tantam cumulat contentio cladem?
Hinc dedit atroces fanatica turba tumultus:
Hinc reverenda ſacræ ſcrutati ſymbola *cœnæ*
(Teſſera quæ pacis concordi pace ligaret)
Diſtrahimur variè ſtudia in contraria ſciſſi.
Doctus & *Arminius* ſollertis acumine mentis
Inclytus, aſt hominum communi ſorte creatus,
Intima dum medii penetravit in abdita Templi,
Ingenio nimium proprio confiſus, aberrat,
Dogmata communi cudit nocitura quieti,
Nec ſua ſupremo concedit jura Tonanti.
Excipit hunc, cumulatq; malum furialibus auſis
Vorſtius impurus, fœcundaq; ſemina morbi
Sedulus arte rigat. Vomit hic portenta nefanda;
Hic nova monſtra parit cerebri cõmenta prophani.
Inde gemit ſciſsis *Eccleſia* mœſta capillis:
Publica pax languet: pullatâ veſte ſeneſcit
Alma *Fides*: vario miſcentur cuncta tumultu.
Sacrificûm furibunda cohors impunè ſuperbit,
Et ronchos tremulo petulantes ſplene cachinnat,
Erigit & criſtas. En quò diſcordia cives

Perduxit miſeros! En belli bella trophæa!
Fælices animi, quibus hæc componere cura,
Ædis & auguſtæ lapſas ſarcire ruinas.
Quin agite (O proles redivivæ ſera *Zionis*,
Stirps genuina poli) ſummo præeunte Magiſtro
Tempora Palladiæ ramis velemus olivæ,
Et poſitis odiis omnes coeamus in unum.
Eſto procul rabies, querulæq; faceſsite rixæ;
Ite ſimultates & amaræ prælia linguæ,
Tinctaq; viperео diſcedite ſpicula felle.
Nos, ſacra progenies, cœli quibus annuit arcem
Speq; fideq; ſimul ſuperi Moderator Olympi;
Nos, quibus una fides, unus Salvator *Iëſus*,
Quos Deus unius ſociavit fœdere cultus,
Scindimur in partes? & *fratrum gratia rara eſt?*
Inq; vices pleno convitia fundimus ore?
(Proh pudor!) amiſſas patimurq; reſumere vires
Externum, noſtri ſitientem ſanguinis, hoſtem?
Heu, quantum versâ valuiſſent cuſpide tela!
Fortiter hoſtilem quoties hauſiſſe cruorem,
Adverſas quoties poterant proſtraſſe phalanges
Hi, quos civilis Bellona reciprocat, ictus?
Hoc certamen erit ſudore & pulvere dignum:
Hic labor, hoc opus eſt. Huc, huc convertite greſſus,
Huc properate viri quibus eſt res publica curæ.
Ferte citi ferrum, trepidiq; accurrite cives;
Publicus hoſtis adeſt; civilia ponite bella.
Claſsica dira ſtrepunt: cava buccina murmure rauco
Signa canora dedit, paſſim clamatur ad arma.
Illa dies, venit illa dies (præſagia vatum
Siquid habent veri) quæ nubila denſa ſerenat;
Quâ dabit horribiles truculenta ſuperbia pœnas,

An-

Antitheaſq; luet Circæa venefica fraudes. (rum?
Quid ſibi vult bombarda fremens? clangorq. tuba-
Quid glomerata manus bello? quid flam[illegible]ppi
Fulgura? & incenſi crepitantia militis arma?
Surgite *Chriſticolæ*, cupidè conjungite dextras.
Inſtat opus, fervent animi. Fortiſſima, macti,
Pectora. *Pierides* chartacea mittite tela
(Scilicet hoc veſtrum eſt) Martemq; accendite cantu.
Effundat *pia turba* preces ac fervida vota.
Arma viri, ferte arma, boet Mavortia pubes.
Et conjurati veniant in fœdera Reges.
Impetus unanimis furibundum proterat hoſtem.
Tantæ molis erit Romanam tollere ſedem.

ALme Parẽs, ſolo qui dirigis omnia nutu, (torques,
Qui Phlegetonta domas, & ab æthere fulmina
Fulmineâq; rotas fragilem vertigine mundum:
Protege, quæſo, tuos: inimicas comprime lites:
Diſſidium fugiat: *pacem te poſcimus omnes.*
Pœna quidem juſta eſt, neq; nos meruiſſe negamus;
Non adeo fugit ora pudor. Sed reſpice *Chriſtum*,
Quem colimus, ſanctumque tuum (Pater optime)
Detonet in gentes & ſæviat ira prophanas, (nomen.
Conterat infeſtos hoſtes, ac vindice dextrâ
Strangulet Oenotriam præcluſis faucibus hydram.
Diſcute, frange jugum, quo preſſa Eccleſia mæret,
Barbaricum, validâq; manu proſterne ſuperbos.
Sed populi miſerere tui, quem ſanguine partum
Servaſti, miſerere gregis non digna ferentis.
Supprime (namque potes) conceptæ incendia
Ac leviore manu liventia vulnera ſana. (flammæ,

Fiſſu-

Fissuræ coeant, divisaq; pectora vinclo
Iungantur stabili: procul hinc discordia migret,
Ac[illegible]tus stygiâ demersa palude.
Ine[illegible] sic volitet totum tua fama per orbem
Marmoreis subvecta rotis: populusq; piorum
Debita divinis tribuat præconia gestis.
Sic veneranda piè peragat mysteria cætus,
Auctus in immensum numerosâ prole, fidelis.
Nosq; salutifero pietatis fœdère juncti,
Cœlica concordi celebremus numina voce.

FINIS.

BRITISH 19NO94 MUSEUM